



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

§. IV. Contentio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

sis. Hinc mali existunt Superiores, qui ovium pelles induunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Cajetanus asserit (*in 2. 2. quæst. 111.*) etiamsi quis esset hypocrita, & virtutem simuleret, ne scandalum proximo præberet, hunc tamen peccaturum; hoc enim esset mendacium, & omne mendacium, utpote veritati contrarium est peccatum.

§. IV.

Contentio.

Contentio juxta S. Thomam (*2. 2. quæst. 38.*) est sermo, quo veritas ab alio defensa impugnatur. Non est igitur peccatum de Religionis veritatibus exercitii causa disputare, ut in Schola christianis fit; at contra veritatem ab Ecclesia propositam disputare, ut illa destruat, & nova invenitur opinio, ambitionis aut æmulationis animo maximum proculdubio est peccatum. Timeant, qui tot novas ediderunt opiniones sive contra dogmata, sive contra mores, & qui tot libris illas tueri conati sunt. Nil Religioni periculosius, nil fidei simplicitati, quæ dogmata non examinat, nec nova quærit, solamque Ecclesiæ doctrinam recipit, ac prædicat, magis adversum.

Ex animi superbia contentio passim oritur, qui ad ingenii ostentationem aliorum sententiis acquiescere dedignatur, Timendum vero, ne tandem in errorem prolabatur, suumque Deus lumen iis auferat, qui ex præsumptione veritatem impugnant. Sanctus Paulus de mulierum more

loquens, quæ velatæ Ecclesiam ingrediuntur, ait: Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus (1. Cor. 11.). Vox φιλονίκος, qua utitur, significat victoriæ amantem, qui enim disputant magis plerumque fatigant, ut ipsi vincant, quam ut vincat veritas. Initio veritatis amor propositionem, quam veram credimus, tueri nos cogit; sed paulatim illam, quia nostra est, tuemur. Si disputatione solum tueretur, minus peccaremus; sed sæpe injurias, calumnias, malas artes in adversarios addimus, non modo contra veritatem, sed contra caritatem etiam & justitiam. Propterea Apostolus inquit: Ambulemus non in contentione, & æmulatione (Rom. 13.); & Corinthios sic arguit: Carnales estis, cum sit inter vos zelus, & contentio (1. Cor. 3.); & contentionem inter carnis opera recensens ait: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, inimicitia, contentiones, ira, rixæ (Galat. 5.). Philippenses admonet, ut nihil per contentionem agant (Philipp. 2.). Quæ contentionem a spiritu Religionis longe abesse declarant, summoque a nobis studio fugiendam.

§. V.

Discordia, & Obstinatio.

Discordia juxta S. Thomam (2. 2. quæst. 37.) est voluntatum contrarietas circa idem objectum. Modo mortale peccatum est, modo veniale, interdum nullum. Discordia quando scienter & ex intentione dissentit a bono divino, & proximi bono, in quo debet consentire, est peccatum mortale